



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatvs De Præventionē Ivdiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

**Tonduti, Pierre François de
Lvgdvni, M.DC.LXXIII.**

Capvt XX. De Præuentione in causis Ecclesiasticis. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

num. 48. & seqq. Rot. Auenionens. decis. 22. num. 25. Quia quæ auferuntur ab indignis, fisco applicantur: Sanfelice, decis. 70. num. 5. Guazzini. de confiscat. bonor. conclus. 13. ampliatur. 6. num. 11. Gomez. de delect. lib. 3. cap. 3. num. 51. vers. sed contrarium. Quamuis primam sententiam æquiorē esse dicat Menoch. de arbitrar. cas. 356. in fin. & compositioni locum esse dicat Farinac. ubi sup. num. 44. Et pro Fiscī exclusionē in hoc casu dicant iudicari DD. Galli; Papon. lib. 21. tit. 1. art. 22. & eod. lib. tit. 4. art. 1. Robert. rer. indicat. lib. 3. cap. 7. Bacqu. du droit de desherence. part. 3. cap. 25. num. 18. Maynard. lib. 7. c. 94. Charond. lib. 2. respons. 80. Adden. ad Louet. lit. S. numero 21. Petr. Gregor. in synagm. lib. 45. cap. 8. in fin.

Ego casu occurrenti quoad materiam principalem consului compositionem cum Fisco; quamuis opinionem quæ fauet fratribus veriorē existimarem. Quoad vero præuentionem, census, attento quod saltem dubium aut controuersum erat ius Fiscī, causam apud Iudices fiscales esse dimittendam, ex not. infr. cap. 23.



CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

De Præuentione in causis Ecclesiasticis. Quod Iudex laicus non possit in iis causis præuenire, non obstante quacumque negligentia Iudicis Ecclesiastici. Emphyteuta Ecclesiæ quamuis laicus, coram Iudice Ecclesiastico in lite intentata, etiam super solo dominio vili, ex mente Rose, conueniri debet. De Clerico se opponente aduersus executiones, an repellatur exceptione præuentionis causæ. Explicatur Statutum Auenionens. De lationibus. Vt locum non habeat in causis Ecclesiasticorum obtinentium inhibitiones de aliò non trahendo. Et de confirmatione Statutorum Auenionensium. Clericum non possidentem, legitimum contradicto-rem, teneri comparere coram Iudice laico. De Præuentione aduersus colonum Clerici. Clericus vocatus in euictionarium, an possit declinare forum Iudicis laici. Quid vero dicendum sit de Fisco pro euictione impetito; vtrum possit causam trahere ad suos Iudices; ad materiam leg. venditor. ff. de Iudiciis. Denique quæ sit differentia si quis vocetur in euictionem pendente iudicio, vel ad indemnitate lite finita. In causa generali concursus creditorum Clericum teneri coram Iudice laico comparere. Quid dicendum de causa hæreditatis iacentis ipsius Clerici: & quæ requirantur ad hoc vt Clericus gaudeat fori privilegio.

- 1 Præuentionis aduersus clericos in curia laicorum non inducitur, propter exemptionem clericorum.
 - 2 Clerici nullo modo trahi possunt ad forum seculare.
 - 3 Consuetudo obligans clericos ad comparendum in curia seculari, non valet; etiam si esset temporis immemoralis.
 - 4 Clericum trahens ad curiam secularem, incidit in censuram, & illi denegatur audientia.
 - 5 Quamuis allegaretur negligentia Iudicis Ecclesiastici, non tamen ex eo fundari posset præuentionis Iudicis laici.
 - 6 Emphyteuta Ecclesiæ non potest præueniri, nec citari coram Iudice laico, etiam si de Dominio vili & inter laicos ageretur.
 - 7 Dominium vtile inseparabile est à causa domini directi, cum illud ab hoc dependeat.
 - 8 Clericus se opponens aduersus executiones, an repellatur exceptione præuentionis causæ: si illam velit ad Iudicem Ecclesiasticum trahere.
 - 9 Clericus potest incipere per inhibitiones de ipsum turbando, auctoritate Iudicis Ecclesiastici etiam aduersus laicum factas.
 - 10 Statutum Auenionense, De lationibus, lib. 2. rub. 14. artic. 5. non habet locum, si inhibitiones auctoritate Iudicis Ecclesiastici factæ fuerint.
 - 11 Confirmatio statutorum etiam Apostolica non comprehendit statuta contra iurisdictionem Ecclesiasticam facta. Vbi de confirmatione Apostolica statutorum ciuitatis Auenionensis.
 - 12 Clericus non possidens tenetur venire oppositum coram Iudice laico exequente.
 - 13 Clericus non possidens est legitimus contradictor coram Iudice laico in materia l. fin. Cod. de Edict. diui Hadr. toll.
 - 14 Quando causa fuit præuenta à Iudice laico aduersus colonum Clerici, causa nihilominus ad Iudicem Ecclesiasticum remittenda est, si res illa ad clericum spectet.
 - 15 Clericus citari potest coram Iudice laico cum clausula, si sua putauerit interesse.
 - 16 Clericus quoad bona quæ communia habet cum laico, totam causam euocat ad curiam Ecclesiasticam.
 - 17 Clericus actor sequitur forum rei laici.
 - 18 Clericus an possit præueniri coram Iudice laico quando vocatur vti euictionarius varia referuntur sententia.
 - 19 Verius est causam coram Iudice laico præuentam tractandam esse coram eodem Iudice præueniente etiam quoad clericum autorem laudatum.
 - 20 Clericus potest si velit cum licentia Episcopi laicum in curia seculari litigantem in eadem curia defendere.
 - 21 Fiscus citatus pro euictione, totam causam trahit ad Iudicem Camerae, ex privilegio speciali, quod privilegium non est ad Clericos extendendum.
 - 22 Dispositio leg. venditor. 49. ff. de iudic. non habet locum finita lite principali, nec in eo qui conuenitur pro indemnitate in actione personalis.
- Iudex laicus in causa concursus generalis creditorum cognoscit etiam de creditis clericorum.
- Iudex laicus non potest præuenire quando hæreditas Clerici est iacens.
- Quæ requirantur ad hoc vt Clericus possit declinare forum Iudicis laici.

OPTOSAM hanc iurisdictionis Ecclesiastica materiam aliis tractandam relinquimus. Præcipua tamen, & magis practicabilia capita quatenus tractatum præventionis tangere possunt, in medium afferemus.

1 Primo igitur certum est & omni dubitatione caret, Clericos à quacunque iudicis secularis iurisdictione esse exemptos. *Authent. statuimus, C. de sa-
crof. Eccl.* Ita ut ne quidem de Episcopi consen-
2 su coram iudice laico præueniri vel conueniri queant: *cap. 2. cum ibi notat. de for. compet. Roland. cons. 4. n. 8.
C. sequenti. volum. 1. D. Argel. de legit. contradi. qu. 3.
art. 6. num. 182. Sord. consil. 396. num. 15. †* Adco ut
3 non obstant quacunque consuetudine, etiam si esset
temporis immemoralis, causa debeat ad iudicem
Ecclesiasticum remitti, DD. in c. *causam, de prescrip-
t. in cap. 2. de maiorit. & obed. Theodol. Rub. in
singular. ad decis. Rota Romana. decis. 10. de con-
4 fuet. in antiqu. fol. 585. †* Et qui Clericum trahit ad
Curiam secularem incidit in censuras, & illi dene-
5 gatur audientia, *Burat. decis. 6. 12. †* Quod procedit
etiam si Prælatas esset negligens in iustitiæ admini-
stratione, *Farinac. cons. 68. num. 10. Carol. de Grass.
de effect. cleric. effect. 1. num. 390. apud quem plura
de hac materia habentur, & apud Barbof. de iure
Eccles. tomus 1. lib. 1. c. 39. §. 2. per totum. Qui dum
opus erit videri poterunt.*

6 Secundò hoc etiam certum est quod si agatur de
emphyteuta Ecclesiæ, aut de caducitate per eum in-
curta, causa tractari debet coram iudice Ecclesiasti-
co, & ad eum remitti, non obstante præuentione iu-
dicis laici, quamuis emphyteuta esset laicus, & tra-
claretur solum de dominio vili inter duos laicos.
Quia cum dominium directum Ecclesiæ, sit ita con-
nexum & inseparabile ab vili dominio, ut ab eo
diuelli nullo modo queat, & illud sequatur sicut in-
crementum alluvionis, ideo non potest causa domi-
nii vtilis, que saltem indirectè dicitur causa Eccle-
siastica, coram iudice laico tractari, quidquid in con-
trarium dixerit Theaur. iun. lib. 2. *quæst. forens. 15.
n. 20. ubi voluit dari electionem laico agendi con-
tra emphyteutam similiter laicum coram iudice
laico. †* Quia contrarium verius est, ut tenet Rota
7 *decis. 472. num. 2. part. 2. Recentior. Vbi dicitur, quod
si agatur inter laicos de vili dominio, si tamen do-
minium directum sit Ecclesiæ: causa dicitur Eccle-
siastica. Et apud Pacif. decis. 2. super totam. Cyriac.
controuers. 12. num. 67. Rota decis. 42. num. 8. part. 6.
Recentior.*

8 Tertiò, quando clericus se opponit aduersus exe-
cutionem factam auctoritate iudicis laici, circa præ-
uentionem illius causæ à laico factam, hæc adhiben-
da est distinctio. Verum videlicet Clericus se oppo-
nens, rem illam, super qua executio facta fuit, pos-
sideat, an non. Si enim rem possideat, causa coram
iudice Ecclesiastico tractanda erit; quia tunc cleri-
cus dicitur verè reus; l. de pupillo, §. qui remissionem,
ff. de noui oper. nuntiat. Et ideo regula succedit *cap. si
quis contra clericum, & cap. cum sit generale, de for.
compet. †* Et propterea si clericus timeat molestari,
9 aut executiones fieri super bonis per eum possessis,
potest monere laicum agere volentem, (idque au-
thoritate iudicis Ecclesiastici) ne eum molester, aut
turbet in sua possessione; aut aliquid contra ipsum
attenter, ut voluit Purpur. consil. 26. num. 12. Si ve-
ro clericus non possidet, non potest impedire con-
tinnationem causæ executionis inter laicos, in Curia
iudicis laici præuentæ, sed causa apud eundem iu-
dicem laicum, qui præuenit terminanda est, ut fuit

decisum apud Seraph. *decis. 804. num. 4.* In qua de-
cisione etiam dicitur, quod si iudicium spoli fuerit
intentatum coram iudicibus laicis, clericus interue-
niens in causa, si non possideat, & non doceat clarè
de iure suo liquido, non potest impedire cursum
causæ, nec illam trahere ad iudicem Ecclesiasticum,
tunc præcipuè quando adest aliqua suspicio collu-
sionis, *Mangil. de iust. q. 6. n. 28.*

10 Et ex his patet, quod si clericus possidens, cura-
uerit inhiberi laico de ipsum non molestando, aut
ad Curiam secularem non trahendo, non obstat illi
statutum Auenionense loquens de causis iacta-
tionum, & de inhibitionibus de non aliò trahendo,
lib. 2. rub. 14. *de moderat. inhibet.* Tum quia illud sta-
tutum expresse reseruat iurisdictionem iudicis com-
petentis: tum etiam quia statuentes, nec voluerunt
nec potuerunt præiudicare iurisdictioni Ecclesiasti-
cæ, † nec confirmatio, siue ab Eminentissimis Le-
11 gatis siue, à summis Pontificibus, de qua testatur
D. à Laurent. *decis. Rota Auenionensis 86. num. 10.*
extendenda est ad casus, in quibus præiudicium in-
ferri posset iurisdictioni Ecclesiasticæ, ad tradita
per Bartol. in leg. 1. ff. de iure person. num. 1. Verall.
*decis. 204. parte 1. Pacific. de Saluan. in specul. 4. c. 2.
num. 84.*

12 Remanet ergo firma regula ex notatis *num. 9.*
quod clericus non possidens, debet venire opposi-
tione coram iudice laico: si contra laicum pignera-
tio facta fuerit.

13 Sicut in simili casu, si laicus petat se immitti in
possessionem vigore l. fin. Cod. de ed. l. Diui Adrian.
*colleat. & compareat contradictor clericus, causa co-
ram iudice laico tractanda erit, si clericus non possi-
deat: si verò possideat, coram Ecclesiastico: ut bene
comprobat D. Argelus in suo tract. de legit. contra-
dict. q. 3. art. 6. per totum.*

14 Quartò, quando colonus possidet nomine sui
Domini, & in ius vocatur pro re quam titulo loca-
tionis à clerico acquisiuit, ipse autem Dominum
suum laudat autorem, vel Dominus causam assu-
mit, tunc certum est causam coram iudice Ecclesiasti-
stico tractandam esse: cum causa principaliter ad
Clericum spectet, & colonus in re controuersa nihil
præter nudam detentionem habeat, *Mangil. de
iust. q. 6. num. 30. post Riminald. iun. consil. 422. n. 8.
11. & 12. Sord. consil. 596. n. 37. Carol. de Grass. di-
cto effect. 1. n. 267.*

15 Quintò, si clericus citetur coram iudice laico
cum clausula si sua putauerit interesse, citatio erit va-
lida, quia clericus non arctatur ad comparandum,
nisi quatenus ita sibi videatur, & si non compareat,
non dicitur contumax, teste D. Argelo *dicta quæst. 3.
de legit. contradi. artic. 4. numero 77. 78. & 79.* Vbi be-
ne probatur, citatum ex tali citatione non effici-
reum necessarium, sed dumtaxat voluntarium. Et
diximus supra *cap. 9. de prauent. per citat. num. 60. &c.*
in propriis terminis clerici citati, docet Borell. in
*summa omn. decis. tit. 7. de cleric. & Sacerdot. num. 60.
lib. 1.*

16 Sextò, Clerici sunt exempti à iurisdictione laico-
rum, non solum ratione bonorum Ecclesiastico-
rum, sed etiam ratione bonorum patrimonialium,
adeo ut si causam communem habeant cum lai-
cis eadem bona possidentibus, tota causa tractan-
da sit coram iudice Ecclesiastico: *Seraphin. de-
cis. 957.*

17 Septimò, si Clericus aut Sacerdos sit actor, etiam
si esset persona Religiosa (cessantibus privilegiis in
contrarium) & agat contra laicum, tenetur compa-
tere coram iudice laico, nec datur præuentione in
Curia

Curia Ecclesiastica, c. cum sit generale. Et c. si clericus laicum, De foro compet. Quod tamen limitandum est, nisi ageretur de rebus & iuribus Ecclesiæ, vt ostendimus infra cap. 22. num. 1.

Octauo, magna est inter Doctores altercatio, vtrum clericus vti euictionarius laici emptoris, possit coram iudice ipsius emptoris, & per consequens coram iudice laico præueniri, & vtrum coram illo comparere, & causam defendere teneatur, an vero causa euictionis sit ad iudicem Ecclesiasticum remittenda? In qua questione varij varia censuerunt, alijs pro Curia seculari tenentibus, alijs pro Ecclesiastica. Vt videre est apud Carol. de Grassi, de effect. clericat. effect. 1. num. 261. & seqq. Alij distinguunt, vt si de bonis Ecclesiæ agatur, Clericus author laudatus possit petere causæ remissionem ad iudicem Ecclesiasticum: si vero de bonis patrimonialibus ipsius Clerici, causa coram iudice laico sit terminanda, coram quo causa principalis fuit præuenta, Ric. collect. 2283. & 2303. post Nouat. in praxi variat. & elect. fori, sect. 1. q. 31. n. 7.

Sed hæc distinctio est contra mentem Rotæ Rom. apud Seraph. dicta decis. 957. quæ, vt supra num. 15. ostendimus, vult etiam pro bonis patrimonialibus Clerici, causam ad iudicem Ecclesiasticum esse remittendam, vt habetur in eadem decis. num. 1. versic. neque obstat.

Hanc etiam questionem examinant plures, quos refert Mangil. in tract. de euict. dicta quest. 6. Borell. in summa decis. tit. 7. de Cleric. & Sacerdot. num. 90. & sequent. Barbol. in cap. ultimo, num. 16. de empt. & venditione, alius Barbol. in l. venditor, 49. ff. de iudic. à num. 138.

19 In hac controuersia, verior videtur sententia quæ & magis communiter recepta est, videlicet, vt Clericus in ius vocatus pro euictione rei, de qua inter laicos est disceptatio teneatur coram iudice laico comparere; neque possit petere causæ remissionem ad iudicem Ecclesiasticum: quam optimè defendit, & sequitur Barbol. in dicto tractatu de iure Eccles. vniuers. lib. 1. c. 39. §. 2. n. 116. & seqq. cuius dicta hic repetere superfluum esset.

20 Nono, si Clericus venditor velit emptorem laicum coram iudice laico defendere, poterit ibidem pro suo interesse si velit comparere, habità à suo Episcopo licentiâ: quod non negant illi qui existimant Clericum euictionarium causam ad forum Ecclesiasticum posse trahere. Vt videre est apud Gloss. in can. clericum nullus, in verb. Secularem, Versic. licet ei præstet auctoritatem 11. quest. 1. melius Abb. cap. quoniam frequenter, §. in alijs, numer. 28. Vt lite non contest. Vbi dicit quod aut Clericus venit nominatus in iudicio seculari, & tunc dandus est libellus, & debet remitti ad suum iudicem: licet contrarium in hoc capite verius esse superius ostensum fuerit) aut venit voluntariè ad defendendum, & tenetur ibi defendere. Rip. in c. 2. num. 24. de iudic. Barbol. in d. l. venditor, 49. n. 145. ff. de iudic.

21 Decimo, quid statuendum sit in fisco, quando in ius vocatur pro euictione, explicat Mangil. dicta quest. 6. num. 17. & sequent. b. Verius videtur, quod quando agitur de causâ fiscali, illi qui emerunt à fisco, illumque vocant in euictionarium, petere possint remissionem causæ ad iudices fiscales. Quod si remissionem non petant, processus factus coram iudice ordinario non fiscali sit validus: vt tenet Peregrin. in de iure fisci, lib. 7. tit. 1. n. 5. Quamquam autem sint causæ fiscales, & quomodo differant à criminalibus, paulo post ostendetur cap. 23.

Nec ex privilegio fisci ad privilegium Clericorum quidquam inferri potest, vt notauit Barbol. in d. l. venditor 49. num. 149. ff. de iudic. Qui etiam notabiliter Peregrini sententiam explicasse videtur, vt si aduersus emptorem agatur ex causa nullitatis alienationis factæ per fiscum, causa ad iudicem fiscalem sit remittenda, quamvis fiscus emptorem defendere non curet. Sed si præsupposita validitate venditionis factæ per fiscum, conueniatur is qui emit à fisco ex alia causa, non sit locus remissioni ad iudices fiscales. Sed hæc distinctio videtur verbalis, quia quomodocunque fiscus vocetur in euictionarium, agitur de facto suo & de interesse fiscali: quo casu difficillimum erit (saltem apud nos) impedire remissionem causæ ad iudicem Camera: propter illius privilegia & fauores, & propter generalitatem text. in l. 3. C. de iure fisci, lib. 10. ibi, *Aditus procurator meus, &c.*

Denique & hoc statuendum est, quod licet emptor litem non denuntiauerit venditori tempore legitimo, non tamen impeditur aduersus venditorem agere, si ostendat iustitiam euincens. Vt per Mangil. de euict. q. 4. num. 55. & sequentibus. Hoc autem casu, si venditor agere velit separato iudicio, & coram alio iudice competenti, & notarium sibi bene visum eligere, hoc facere poterit, cum hæc sit causa omnino distincta, & separata à uegotio principali, Maynard. lib. 3. cap. 33. Charond. lib. 3. Resp. 60. Actio enim ista separata & diuerso iudicio iniuncta, non iam realis est, sicut dum ab emptore res acquisita vendicator, sed personalis, in qua iudicem quemlibet competentem adire sufficit: Sicut dum quis ad indemnitatem ab alio in actione personali conuenitur, quo casu non est locus dispositioni dictæ l. venditor, 49. ff. de iudic. vt bene per Maynard, & Charond. in locis mox citatis.

Decimo licet aliqui DD. inter quos est Mart. in tract. de iurisdic. part. 4. cent. 2. cas. 123. existimant iudicem laicum in causâ conuersus generalis creditorum, non posse cognoscere de causis Ecclesiasticorum, qui in illa causâ vti creditores habent interesse; Contrarium tamen verius est, nempe Ecclesiasticum in illa causâ comparere teneri coram iudice laico, prout sæpius vidimus practicum: & tenet Vrsill. ad Afflict. decis. 280. num. 7. Mastrill. decis. 79. de Grassi. de effect. clericat. effect. 1. num. 475. cum alijs quos citat & sequitur, optimèque probat Salgado in labyr. credit. part. 1. cap. 6. per tot. maxime num. 14. Rationem reddens, quia Clericus in iudicio discussionis generalis, est actor in effectu: & ideo tenetur sequi forum rei.

Vndecimo, si agatur de Clerico defuncto, cuius hereditas sit iacens aut repudiata, processus factus per iudicem laicum non operabitur præuentionem. Quia cum hereditas iacens representet defunctum, & gaudeat iisdem iuribus & privilegijs, quibus ipse defunctus, vt aduertit Barbol. in leg. heres absens 19. in princ. ff. de iudic. num. 180. & sequent. sequitur, processum iudicis laici aduersus huiusmodi hereditatem iacentem non subsistere, nec per consequens ex ea oriri præuentionem, ex notatis per Salgad. in labyr. credit. part. 1. cap. 2. numero 48.

Duodecimo notandum est, quod ad hoc vt Clericus possit vti privilegio fori aduersus iudicem laicum præuenientem, sufficit vnum ex tribus requisitis ex Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 6. Videlicet quod habitum & tonsuram deferens Clericalem inferuiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, vel habitum & tonsuram deferens degat in aliquo

aliquo seminario de mandato Episcopi, vel habitu & tonsuram deferens in aliqua schola de mandato Episcopi veretur: Barbof. ad dist. locum Concil. Trid. n. 24. Quod intellige in Clerico non beneficiato in minoribus Ordinibus constituto, si enim haberet beneficium aliquod Ecclesiasticum, gauderet beneficio fori, & ad suum Iudicem Ecclesiasticum remittendus esset, quamvis habitum & tonsuram non deferret: hanc enim esse Concilij mentem testatur ibid. Barbof. n. 13. ubi plures de materia tractantes commemorat: quibus addi potest Capyc. Latr. decis. 73. Qui in casu occurrenti adeundus est, sicut & Anton. de Marin. p. 1. resol. 56. Carol. de Grass. de effect. cleric. effect. 1. num. 1166. & multis seqq. Farin. q. 8. num. 5. & 60.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

An & quando appellatus praeuenire possit appellantem, obtinere commissionem appellationis per ipsius appellati aduersariū interpositā. Quando appellatus dicatur nimium festinasse committi curādo causam appellationis, & appellan-tem praeueniendo. Quomodo procedēdū sit per appellatum, quando appellans intra quindecim dies à Statuto assignatos, ad obtinendā cōmissionē appellationis, fuit negligēs in obtinēda dicta cōmissione. Ostenditur etiam differentia inter reuocationem executionis per viā iustitiæ, & per viā attentatorum, multaque alia afferuntur ad interpretationem cap. oblatæ 57. De appellationibus.

SVMMARIVM.

- 1 Commissio appellationis, intra quod tempus sit de iure per appellantem obtinenda.
- 2 Terminus ad introducendam appellationem à statuto assignatus quomodo intelligi debeat.
- 3 Quis possit assignare terminum appellanti, minorem termino legali.
- 4 Quando appellatus praeuenit appellantem ante terminum hominis, quid in rescripto sit exprimendum.
- 5 Si appellans nihil opponat, commissio appellati defectiosa, redditur valida.
- 6 Quando agitur de termino legali, appellatus non potest nimia vti festinatione ad praeueniendum appellantem.
- 7 Quando appellatus dicatur nimium festinasse in committendo causam appellationis, pendet à iudicis arbitrio.
- 8 Non dicitur nimium praecurrere, qui causam appellationis committi obtinet, in ultimo mense termini à lege assignati ei, qui appellationem interposuit.
- 9 Explicatur Statutum Auenionense lib. 2. rub. 23. art. 3. de termino appellanti prefixo ad suam appellationem introducendam.
- 10 Quae remedia competant appellato vigore dicti statuti aduersus appellantem negligentem.
- 11 Lapsa termino statuti, appellatus potest obtinere commissionem pro confirmatione sententiae.
- 12 Forma cōmissionis danda per appellatū praeuenientē. Sanlegerius de Praeuent. Iudic.

- 13 Commissio data pro confirmatione sententiae iudicis à quo extenditur etiā ad eius reuocationem. Commissio appellationis est communis utrique partis. Sed qua cautela vitandum sit, quando data est super capitibus separatim, eodem n. 13.
- 14 Appellatus, lapsa termino statuti, potest si velit omisso remedio executionis, committi facere causam appellationis, pro confirmatione sua sententiae.
- 15 Nilius potest esse appellatus, omisso à executione sibi post lapsum termini statutarij concessā, obtinere commissionem appellationis.
- 16 Per lapsum termini à statuto Auenionensi ad introducendam appellationem prefixi, non ideo de-ferri est appellatio.
- 17 Executio quae lapsa termino à statuto conceditur, potest obtineri parte non citatā.
- 18 Qua sit differentia inter reuocationem executionis per viam iustitiæ, & per viam attentati.
- 19 Clausula, lapsu temporis ad introducendum non obstante, quid operetur in commissione appellationis.
- 20 Per executionem factam post lapsum termini statutarij, Iudex & Notarius prima instantia non dicuntur praeuenisse.
- 21 In Curia Romana appellatus potest statim appellan-tem praeuenire.
- 22 In Legatione quando derogari possit depositioni cap. oblatæ 57. de appellat. ad effectum ut ap-pellatus possit appellantem praeuenire.



MATERIA huius capitis, residet in cap. oblatæ 57. de appellat. in quo tractatur, quomodo & quando appellatus possit praeuenire appellantem, committi faci-endo causam appellationis. Circa quod notandū est, primo. Quod duplex appellanti terminus, ad suam appellationem introducendam, assignari potest; Primus est terminus legis, secundus est terminus hominis. Terminus legis est vnus anni, & ex causa, biennij, Matchel. de commiss. appell. vigore cap. oblatæ, §. vnic. n. 4. & §. fol. 400. Aliquando etiam terminus à lege municipali assignatur appellanti, ad suam appellationem introducendam, & commissionem obtinendā; & tunc ea debet fieri interpretatio, ut quātum fieri potest, statutum huiusmodi sit conforme dispositioni iuris communis. Vt dicit Alex. cons. 19. n. 4. volum. 1. Terminus vero hominis ille dicitur, quem iudex à quo, appellanti assignauit, vel ipsa met pars sibi ad introducendā appellationē praefixit, quod facere potest abbreviando terminum iuris, ut dicit text. in d. c. oblatæ. & ibi omnes Doctores.

Præterea notandum est, quod si appellatus velit appellantem praeuenire, tenetur in rescripto commissionis suae mentionem facere de termino à iudice, vel ab ipsa parte sibi praefixo; alioqui commissio tanquam subreptitia, erit nulla; nec praeuentionis effectum operabitur, per tex. expressum in d. c. oblatæ. & ibid. Franc. & alij omnes.

Sed hoc sano modo intelligendum est, videlicet dummodo appellans opponat de hac nullitate. Si enim ipse nihil opposuerit, subsistet commissio; & commissario tribuet iurisdictionem, & appellans tenebitur comparere, & causam prosequi coram iudice, & apud Notarium causae talis appellationis. Sigism. Scacc. de appell. quest. 1. n. 52. & 53. Seraphin. decis. 45. n. 7.

Quando vero nullus est terminus praefixus ab homine, sed versamur in terminis dilationis legalis; tunc appellatus non potest praeuenire appellan-tem, nimium festinando & praecurrendo, cum

H

appel